

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae Rex. Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Ea, quae fidelitates vestrae penes literas Credentiales, medio certorum Ablegatorum suorum, utpote fidelium itidem nostrorum, Honorabilis ac Magnifici Alexandri Ignatii Mikulich de Brukonowcz, Archi-Diaconi Cathedralis et Canonici Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, nec non Egregii Petri Antolchich, Vice Comitis Comitatus Crisiensis, occasione fidelis aequae nostri Locumtenentis Bani Comitis Nicolai Erdeödy de Monyorokerek &c. plenario Banali titulo et munere decorandi Maiestati nostrae demisse exhibitas, repraesentata esse voluerunt, benigne intelleximus.

Et quamvis benigna mens nostra et intentio ea fuerit, ut pro Paterno, quo erga Fidelitates vestras et vestrum singulos ferimur favore et affectu, omnia illa, quae ad salutem et permansionem libertatumque ac immunitatumstrarum conservationem spectare videntur, debitis ac optatis proficiant incrementis; Demissa tamen iterata vestra ratione dicti Banalis Officii ad pristinum suae integrae plenitudinis et nominis statum reducendi instantia, quominus hic et nunc admitti, quin potius tantisper suspendi debuerit, praegnantibus quaedam ac maioris importantiae et indaginis rationes obstiterunt.

Interim curae nostrae erit, ut memoratum Officium absque longiori dilatione, uti nempe nobis opportunum magis et expediens visum fuerit, Personae a vobis recommendatae, utpote praenominato Comiti Nicolao Erdeödy, ob praeclara etiam ipsius et Illustris Familiae suae benemerita, modo supradecarato conferatur, fidelitatesque Vestrae experiantur, quam specialem illibatae earundem erga nos et Augustam Domum Nostram Austriacam multis argumentis contestatae fidelitatis et constantis devotionis servemus memoriam et respectum. Gratia benignitateque nostra Caesarea et Regia iisdem fidelitatibus vestris in reliquo iugiter propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna die nona mensis Augusti Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Septimo.

Leopoldus m. p.

Thomas Palfy m. p.

Episcopus Nitriensis.

Stephanus Orban m. p.

Ex Protocollo Regni Congr. in Archivo Regni Croatiae asservato.